



Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. IV. Utrùm prædictum impedimentum affinitatis oriatur ex copula carnali attentata cum puella impubere; & an etiam ex incestu cum cagnata legali aut spirituali; ac denique ad quotum gradum ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

pretendunt ratione affinitatis ante contractum matrimonium contractæ; tum quod unus testis sufficiat quidem ad impediendum matrimonium contrahendum, ut ex dictis patet, ob periculum peccati, non tamen ad dirimendum contractum, ob periculum dissolvendi insolubilis vinculi; tum quod in casu, quo uterque asserit affinitatem contractam, timeri possit collusio, si ad solam illius assertionem dissolveretur contractum matrimonium; quin etiam quamvis confessioni tali rumor vicinæ (pars scilicet aliqua vicinæ) accedat, de affinitate contracta, matrimonium tamen non dirimitur, cum nondum ad sit sufficiens probatio ad negotium tam arduum, quale est dissolutio matrimonij.

§. IV.

Verum prædictum impedimentum affinitatis oritur etiam ex copula carnali attentata cum puella impubere; & an etiam ex incestu cum cognata legali aut spirituali; ac denique ad quorum gradum extendatur hoc impedimentum affinitatis, ortum ex illicita copula cum consanguinea alterius conjugis habita.

Ad primam questionem responsio colligitur ex o. *Fraternitatis* 7. h. 2. (saltem à contrario sensu) negativa, cum impedimentum hoc non oriatur, nisi ex

perfecta copula carnali, qualis contra impubere haberi non potest.

Ad secundam questionem a. item negativè, cum nullo jure probari possit ex tali copula orti impedimentum affinitatis.

Ad tertiam questionem de jure antiquo respondendum jura *Discretionem* 6. h. 1. eodem modo tendi affinitatis impedimentum ex copula illicita, quo modo extenditur copula licita, ad quartum gradum, ita ut talis illicitam copulam habens, non possit ob impedimentum affinitatis, ullam ducere in Matrimonium, quæ in quarto saltem gradu conjuncta sanguine illi est, cum quæ licitè in quarto gradu sunt unitæ, cum quæ illicitè habuit, sicuti non potest ducere in licitam copulam habuit, sanguine unitæ per Tridentinum tamen hoc impedimentum ex licita copula octavo restrictum est, ita ut tantum extendatur ad secundum gradum (sess. 24. c. 4. *reformat. matr.* ne scilicet ob nimiam impedimentorum talium multitudinem officilia reddantur matrimonia.

§. V.

Proponuntur, & explentur alia qua Capitula hujus Tituli.

Vide de his Auc. Meth. cum viderentur à dictis in relatis hoc §. capitula referantur.

